



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

- II. Die Markgrafen Otto und Albert vereignen den Bürgern Teltow's alles Holz in ihren Waldungen bei Teltow, am 7 Juli 1273.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54728)

II. Die Markgrafen Otto und Albert vereignen den Bürgern Teltow's alles Holz in ihren Waldungen bei Teltow, am 7. Juli 1273.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis Amen. Nos Otto et Albertus, dei gracia marchiones brandenburgenses, omnibus in perpetuum. Propter labilem hominum memoriam necesse est, quod ea, que apud homines perpetua debent esse, scriptis autenticis confirmetur, vt testium voce literarumque testimonio robur obtineant perpetue firmitatis. Hinc est, quod notum facimus vniuersis, tam presentis temporis, quam futuri, tenore presentium protestantes, quod nostram totalitatem lignorum, sitorum ciuitatem nostram Teltowe, eiusdem ciuitatis Burgensibus damus proprietatis titulo in perpetuum possidendam. Vt autem predicta per nos et per succedentes nobis nostros heredes in perpetuum inuiolabiliter obseruentur, prefens scriptum ex certa nostra consciencia sigillorum nostrorum appensione facimus roboratum. Testes huius rei sunt nostri milites: dominus Johannes de Lindowe, dominus Henricus de Bredowe, dominus H. de Groben, filius domini A. de Groben, Datum Spandowe, anno domini M^o. CC^o. LXXIII, III nonas Julii.

Ego Johannes Angelus etc.

Aus der vidimirten Copie im Geh. Staats-Archive, welche stellenweise nicht mehr lesbar ist.

III. Markgraf Hermann bezeugt, daß der Bischof und das Kapitel zu Brandenburg für ihn zur Auslösung des Schlosses Ziesar 300 Mark Silber gezahlt haben und verspricht ihnen dafür die Ueberlassung der Stadt Teltow mit dazu gehörigen Dörfern für den Fall seines kinderlosen Absterbens, am 11. April 1299.

Hermannus, dei gracia Brandenburgensis marchio et comes de Henneberg, Omnibus christi fidelibus presentem literam inspecturis seu auditoris salutem in omnium saluatore. Cum mater Erroris obliuio in Rebus gestis confusionem paret et inducat, expedit acta presentium sigillatis apicibus eternari. Hinc est, quod tenore presentium Recognoscimus publice protestantes, quod venerabilis pater et dominus Volradus, Brandenburgensis Ecclesie episcopus et Capitulum eiusdem Ecclesie, pro redemptione Castri in Segesere pro nobis Hinrico et Frederico fratribus de Aluensleue, nostris fidelibus dilectis, soluerunt et exposuerunt Trecentas marcas Brandenburg. argenti. Nos vero in restaurum et recompensam dictarum marcarum et ob remedium animarum progenitorum nostrorum et nostre Donamus et liberaliter assignamus eidem domino Episcopo et suis successoribus et Capitalo eiusdem Ecclesie Brandenburgensis, Si nos sine filio legitimo et herede discedere contigerit, Ciuitatem Teltow cum villis infra scriptis uidelicet Ghifelbrechtstorp, Hinrichstorp, Rueuelstorp, Stanstorp, Schonow, Slaucum Stanstorp et Slaucum Stolp, Ragnis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, pratis, pascuis, terris cultis et incultis, prout suis terminis distingantur cum omni iure et proprietate, sicut nos et nostri progenitores possedimus pacifice et quiete. Insuper omnia bona et omnes decime, quas ab Ecclesia tenemus Brandenburgensi, que in ipsorum priuilegiis plenius continentur, Si nos absque he-